
DE
THERMOMETRIS
DISSERTATIO EXPERIMENTALIS,

AVTORE
Georg. Wolffg. Krafft.

§. 1.

Cum inter solida et fluida nullum hucusque corpus inuentum sit, quod non quaquaersum ab igne et calore extendatur, veluti Experimenta *Celeb. Musschenbroekii in Tentam. Academicorum Florentinorum, Parte II. pag. 12. seqq.* abunde et iucunde docent: adhibentur optimo successu hodie a Physicis, pro determinando aliquo caloris gradu, Instrumenta non sine multo artificio sic adaptata, ut minimam quamuis fluidi inclusi rarefactionem vel condensationem admodum sensibilem, et oculis distinguendam, reddant. Atque quidem cunctorum fluidorum mercurius viuis huic scopo obtinendo ab omnibus merito creditur esse aptissimus, quia, si purus fuerit, aequè dilatabilis non solum est, sed etiam manet, nullisque obnoxius est mutationibus, quibus alia fluida premuntur; praesertim vero etiam, quia non nisi magno calore ad ebullitionem cogitur, adeoque, vi huius proprietatis, intenso alicuius caloris gradui cognoscendo inferuire potest.

§. 2.